

- sicin agis? *THR.* quis tū homo es? quid tibi vis? quid  
cum illa rēi tibist?
- 35 *CH.* scibi': principio eam esse dico liberam. *THR.* hem. 805  
*CH.* civem Atticam. *THR.* hui.  
*CH.* meam sororem. *THR.* os durum. *CH.* miles, nunc  
adeo edico tibi  
ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam  
nutricem, ut eam adducam et signa ostendam haec. *THR.*  
tun me prohibeas  
meam ne tangam? *CH.* prohibebo inquam. *GN.* audin  
tu? hic furti se adligat:
- 40 sat[is] hoc tibist. *THR.* idem hoc tu [ais], Thai'? *TH.* 810  
quaere qui respondeat.—  
*THR.* quid nunc agimu'? *GN.* quin redeamu': iam haec  
tibi aderit supplicans  
ultro. *THR.* credin? *GN.* immo certe: novi ingenium  
mulierum:  
nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro. *THR.* bene putas.  
*GN.* iam dimitto exercitum?—*THR.* ubi vis. *GN.* Sanga,  
ita ut fortis decet
- 45 milites, domi focique fac vicissim ut memineris. 815  
*SA.* iamdudum animus est in patinis. *GN.* frugi es. *THR.*  
vos me hac sequimini.